

uiram, de infidelitate ad fidem, de infirmitate ad salutem: in qua si permanseritis usq; in finem, bonis certando operibus, salui eritis in æternum. Non enim q̄ cœperit bonum, sed qui perseverauerit in bono, hic saluus erit. Tunc enim placet deo nostra conuersio, quando bonum quod inchoamus, perseveranti sine complemus. Bonum ergo non cœpisse, sed perfecisse uirtus est. Nam inchoantibus præmium promittitur, sed perseverantibus datur, per eum qui promisit, qui est uerus promissor & largior Iesus Christus dñs noster. Qui uiuit & regnat cū patre & spiritu sancto deus per omnia secula seculorum, Amen.

**DOMINICA II.**

post Pascha, Misericordia domini. Iohannis .X.

Iohannis .X.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Ego sum pastor bonus, & reliqua.



**S**uperius textus euangelij narrat, qualiter dñs inter bonos malosq; pastores discretionē fecerit, dicēs de malis: Qui nō intrat p̄ ostiū in ouile ouiuū, sed ascendit aliunde, ille Joh̄an. 10.1 fur ē & latro. De bonis aut̄: Qui intrat p̄ ostiū, pastor ē ouiuū. Huic ostiarius aperit, & oues uocem eius audiūt.

Alienum autē non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia

non nouerunt uocem alienorum. Cum autē cerneret eos dñs hoc prouerbum non intelligere, apertius de quo pastore loqueretur exposuit, dicens: **Ego sum pastor bonus.** Sed in exordio huius lectionis inq̄rendū est, quare se dñs pastore noīari uoluerit. Nunquid ideo pastor dicitur, eo quod more terreni pastoris oues ad pascua ducat & reducat? **Non.** Sed per similitudinem talia nomina ei applicantur, ut per uisibilia inuisibilia intelligamus. Sicut enim ouis dicitur propter innocētiā, agnus propter mansuetudinē, uitulus propter suę carnis immolationē, leo propter fortitudinem, petra propter firmitatē, sic dicitur pastor, non solum quod fideles suos spiritualiter pascat & reficiat, sed etiam quod eos a moribus luporum sua protectione defendat. Iste est enim uerus pastor, qui nobis rationabilem sensum tribuit, & spiritualem intellectum ministrat. Ipse uerus est pastor, qui sacramento sui corporis ac sanguinis nos in præsenti reficit, & in futuro ad satietatem suę cōtemplationis perducit, qui ait in euangelio: **Ego sum panis uiuus q̄ de caelo descendi, Et iterum: Per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Et rursus, Qui manducat carnem meam, & reli.** Et, **Caro mea uerus ē cibus, & sanguis meus uer⁹ est potus.** Sub cuius pastoris regimine abundantia pascua se inuenisse gaudebat propheta, cū diceret: **Dñs pascit me, & nihil mihi deerit. et iterū, Satiabor dū manifestabitur gloria tua. Iste uero pastor fidelibus ouibus promittebatur, cū dñs per prophetam dicebat: Ecce ego suscitabo uobis pastorem unum, seruū meum Dauid, qui pascit oues in iudicio & iustitia. Huius pastoris typo uel figura, Iacob patriarcha oues**

Johan. 6.  
Johan. 10.

Johan. 6.

Psal. 22.  
Psal. 16.

pauisse legitur. Sicut em̄ ad pastoris officium pertinet, nō solum fortiores oues ad pascua deducere, sed etiam infirmis medicinam impendere, sic etiā iste pastor nō solū perfectiores quosq; in ecclesia gerit, sed etiam infirmis animabus per misericordiam descendit, & per pœnitentiam curam salutis impendit. Quod significant eiusdem Iacob uerba, dicentis: **No-** Gene. 32.  
**sti domine mi qđ habeo oues fortas teneras mecum,** quas si in ambulando plus laborare fecero, morientur cūcti greges una die. **Vnde per Iezechielem prophetam dicitur: Ecce ego ipse requirā oues meas, &** Ieze. 34.  
**uisitabo eas. Sicut uisitat pastor gregem suum in die qñ fuerit in medio ouium suarū dissipatarū, sic uisitabo oues meas, & congregabo eas de cunctis locis, in quibus dispersę fuerant. Quod perierat requiram, qđ abiectum fuerat reducā, & quod contractū alligabo, & quod infirmum consolidabo, & qđ pingue & forte custodiam. Ipse est etiam qui sanat cōtritos corde,** psal. 145.  
**& alligat contritiones eorum. Et dicit: Dñs soluit cō-** psal. 145.  
**peditos, dñs illuminat cęcos. Quantum autem huius pastoris benignitas infirmantibus ouibus compatitur, illa parabola euangelij indicat, in qua legit, qđ pastor bonus relictis nonaginta nouē ouibus in montibus, abiit querere unā, quę in uallibus errauerat: quā inuentam imposuit proprijs humeris, & sic reportauit ad gregem. Ad prędicti autem pastoris mensam si uolumus accedere, necesse est ut in bonis operibus nos pręparemus, Salomone testante: **Ad męsam potentis accessisti? diligenter attende quę apponuntur tibi, sciēs quia similia te pręparare oportet. Quia ergo dominus pergens ad passionem, mysteriū corporis & sanguinis sui nobis tradidit, tunc ei similia prę-****

paramus, si pro eius amore tribulationes & angustias sustinemus, quia (sicut ait Apostolus) per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum dei. Et

**Psalm. 118.** Psalmista: Quid retribuam dño pro omnibus quare tribuit mihi? Queritur autem, quare dñs se pastorem uocauit, cum paulo superius ostium se esse dixerit, dicens: Ego sum ostium. Ad quod dicendum, quia aliud est ostium, & aliud ostiarius, atq; aliud pastor. Ipse est enim ostiarius, qui nos ad fidem introducit, sicut ipse ait in euangelio: Nemo uenit ad patrem nisi per me. Neq; enim cognouit patrem quis, nisi filius & cui filius uoluerit reuelare. Ipse est ostium, quia per eum ad

**Johan. 10.** fidē intramus, sicut ipse ait: Per me si quis introierit, saluabitur. Et bene quidē postquam dixit, [ego sum pastor,] adiūxit [bonus, ad] discretionem illorum, qui indigne nomen pastoris usurpant, eo quod uel boni, uel digni nō sint, de quibus dominus superius ait: Omnes quotquot ante me uenerunt, fures fuerūt & latrones. Fuerūt em̄ boni pastores, qualis fuit Pe-

**Johan. 10.** trus, cui à dño dictum est, Si diligis me, pasce oves meas. Et iterū, Tu es pastor ouium. Talis erat Paulus, qui optabat se esse anathema p̄ fratribus suis, dicēs: Ego cupiebā anathema esse pro fratribus meis, q̄ sunt cognati mei, qui sunt Israelitæ. Sed aliud est bonū essentialiter, sicut dño: & aliud nuncupatiue, sicut discipulis: aliud per naturam, & aliud per gratiā. Illi uero uel boni essent à dño acceperunt, ipse autē à nemine, nisi à seipso, ut bonus esset, accepit: & ideo bonitari eius si cōparentur, minus boni inueniuntur. Quācum uero bonus pastor oves sibi cōmissas diligere debeat, manifestatur cum subditur: Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Fecit quod monuit,

& quod docuit uerbis, ostēdit exemplis. Prius animā suam pro ouibus suis posuit, ostēdens bonis pastoribus etiā, si necessitas euenierit, pro ouibus sibi cōmissis mortem nō debere timere. Vnde cum Petro oues suas regendas tertio cōmendasset, quid pro eisdē ouibus passurus esset intimaui, dicēs: Amen amen dico tibi, cū esses iunior, cingebas te & ambulabas ubi uolebas: cum autē senueris, extēdes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quō tu nō uis. Hoc autē dicebat, ait euangelista, significās qua morte clarificaturus esset eum. Deniq; & Paulus apostolus pro ouibus sibi cōmissis, mori paratus erat, cum diceret: Ego ipse impen-  
2. Cor. 12  
 debam, & superimpēdebar pro animabus uestris. Et iterum: Ego autē non solum alligari, sed etiā mori paratus sum in Ierusalem propter nomen dñi Iesu. Non enim facio animam preciosiorem, quā me.  
Actu. 21  
 Et rursus: Melius est mihi mori, q̄ ut gloriam meam quis euacuet. Sed post q̄ dñs boni pastoris opus ostēdit, etiā uitia mali pastoris declarare curauit, dicens: **Mercenarius autē, & qui non est pastor.** Mercenarius dicitur mercede cōductus. Quo noīe recte mali pastores figurantur, qui nō ob amorem dei, nec propter dilectiōem gregis, sed propter lucra terrena curā aīarum suscipiunt, quærentes quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, sicut Apostolus dicit: Quæstū existi-  
1. Tim. 6  
 mant pietatem. Quos per prophetā redarguit dominus, dicens: Ipsi regnauerunt, & nō per me: principes extiterunt, & non cognoui. Tria quidē sunt, quæ mercenarij ab ouibus exquirunt, lac, lanam & carnes: quæ mali pastores, qui magis præesse quā prodesse desiderant, hæc tria à sibi subiectis exigūt, lac adulationis, lanam obsequij corporis, carnes delectationis carna-  
1. Reg. 10

Ieze. 34. **lis.** Quos dñs p Iezechielē prophetam redarguit, di-  
 cens: Vē pastoribus Israel, qui pascebant semetipfos.  
 Nonne greges pascuntur à pastoribus? **Lac** comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat oc-  
 cidebatis, gregem autē meum nō pascebatis. Qd̄ infir-  
 mum fuit, non cōsolidastis: & quod ægrotum, nō sa-  
 nastis: quod contractum, non alligastis, & quod abie-  
 ctū, non reduxistis: quod perierat, non quæsitis, sed  
 cum austeritate imperabatis eis & cū potētia. Quos  
 enim ab extraneis defendere debuerant, hos etiam  
 more prædonum frequēter opprimūt, de quibus do-  
 minus ait in euāgelio: **Attendite à falsis prophetis,** q̄  
 ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus au-  
 tem sunt lupi rapaces. à fructibus eorum cognoscetis  
 eos. **Tales fures in ecclesia** Apostolus præuidebat, qm̄  
 discipulis dicebat: **Scio quia post meum discessum in-**  
 trabunt in uos lupi graues, lupi rapaces, non parcen-  
 tes gregi. **Et ex uobis ipsi** consurgent uiri loquentes  
 mendacium, ut abducant discipulos post se. **Recte au-**  
 tē de talibus subditur: **Cuius non sunt oues pro-**  
**pt̄e.** Non enim ut proprias oues recognoscunt, sed  
 ut alienas nesciunt. Non facile autē tempore pacis co-  
 gnoscitur, quis sit pastor, quisue mercenarius: sed lu-  
 pus ueniens indicat, quo quisq; animo super gregē su-  
 um inuigilet. **Vnde & sequitur: Uidet lupum ue-**  
**nientē, & dimittit oues, et fugit, et lupus rapit**  
**& dispergit oues.** Lupi noīe in hoc loco potentes  
 quilibet designantur & iniusti: qui dum pauperū sub-  
 stantias diripiunt, more lutorū quasi carnes ouiu di-  
 lacerant. Sed mercenarius uidet lupum ueniētem, &  
 dimittit oues, & fugit: q̄a carnalis pastor terrena pa-  
 trimonia amittere timens, sub silentio se abscondit,

Fugit autē, non mutando locū, sed subtrahendo so-  
 latium: quia cum subiectos à potēribus uidet oppri-  
 mi, non contradicit, ut liberet pauperē & egenū de  
 manu ipsorū, sed magis adulando decipit. De quibus  
 per pphetam dicitur: Omnes principes tui fugerūt,  
 dureq; ligati sunt. Et iterū: Quasi uulpes in deserto,  
 pphetæ tui Israel erant. Quorum uituperabilem ti-  
 morem dñs alibi per pphetam redarguit, dicēs: Nō  
 ascendistis ex aduerso, neq; opposuistis murū pro do-  
 mo Israel, ut staretis in prælio in die dñi. Est & alius  
 lupus inuisibilis, qui quotidie non corpora, sed ani-  
 mas peccantiū lacerat, ille scilicet de quo ait Petrus  
 apostolus: Aduersarius uester diabolus tanq̄ leo ru-  
 giens circuit, quærēs quem deuoret. Dum em̄ alium  
 ad superbiam, aliū ad adulteriū, alium ad rapinā, aliū  
 ad fornicationē, alium ad homicidium p̄trahit, mo-  
 re luporū quasi carnes ouium laniat. Sed mercenari-  
 us uidit lupum uenientem, & dimittit oues & fugit,  
 cum is qui non pro diuino amore gregē dei pascit,  
 contra hæc uitia nullo zelo accenditur, nullo dolo-  
 re mouetur, nulla prædicationis arma opponit. Fu-  
 git em̄, cum se sub silentio abscondit. Fugit etiam, cū  
 subiectos p̄ diuersa uitia uidet coinquinari: & tacer,  
 quia nō corrigit, non cōsiderans illud quod Aposto-  
 lus Timotheo præcepit, dicens: Testor coram deo &  
 Christo Iesu, qui iudicaturus est uiuos & mortuos,  
 prædica uerbū, inſta opportune, importune, argue,  
 obſecra, increpa. Tales em̄ non solum de pprijs, sed  
 etiam de subiectorū peccatis reddituri sunt rationē,  
 ſicut dñs per Iezchielem terribiliter cōminatur, di-  
 cens: Speculatorem dedi te domui Israel. Si non an-  
 nūciaueris iniquo iniquitatem suam, sanguinē eius

*Isaie. 20  
Iezech. 13*

*Iezech. 13*

*1. Petri. 5*

*2. Tim. 4*

*Iezech. 3*

de manu tua requirā. Considerandū est etiam, quā-  
 ter mercenarius urso ueniēte fugiat. Per ursum nāq;  
 qui uersutum & callidum est animal, ut quidam di-  
 cunt, hæretici designantur, qui per prauā doctrinam  
 mires in ecclesia decipere nō cessant. Sed mercenari-  
 us, & qui non est pastor, uidet ursum ueniētem & fu-  
 git, quādo subiectos ab hæreticis uel prauis doctori-  
 bus, intra sanctam ecclesiā & simplices decipi uider,  
 & non per autoritatē diuinæ scripturarum contra  
 dicit. De talibus dñs per prophetam ait: Canes muti  
 non ualentes latrare, uidentes uana, dormientes &  
 amantes somnia, & canes impudicissimi nescierūt sa-  
 turitatē. Ipsi em̄ pastores ignorauerunt scientiā. De  
 quibus adhuc subdit: **Mercenarius autē fugit,  
 quia mercenarius est, et nō pertinet ad eum  
 de ouibus.** Si causam quæris, quare mercenarius fu-  
 giat, nullā inuenies uiciniorē, nisi quia mercenari-  
 us est. Qui em̄ non amore diuino, sed dilectiōe cupi-  
 ditatis & potestatis gregē dñicum pascit, mox ut ti-  
 mor hæc amittēdi accesserit, ille recedit, & si nō cor-  
 pore, tñ mente, quia iuxta Psalmistæ uocē, Illic trepi-  
 dat timore, ubi nō erat timor. De talibus per Ietemi-  
 am prophetam dicitur: Mercenarij quoq; tui, q̄ uer-  
 sabantur in medio tui, quasi uituli saginati erant, fa-  
 gerunt simul, nec stare potuerunt. Diligunt em̄ prin-  
 cipaliter, quod perdere potuerunt laudabiliter, i. res  
 terrenas: & non timēt amittere, quod sine graui pe-  
 riculo non possunt relinquere. i. animas subiectorū.  
 De quibus sub specie struthionis per beatum Iob di-  
 citur, Quando dereliquit in terra oua sua, obliuiscit  
 quod pes hoīs conculcet ea, & bestix agri conterāt.  
 Sunt autē nonnulli rectores, qui quī bene doceāt, tñ

Iste. 56

Psalm. 17.

Iere. 46

Iob. 36.



quia male uiuunt, magis inter mercenarios, quam inter pastores computantur: quoniam quos bene docendo erudiunt, hos male uiuendi exemplo destruunt. De quibus per prophetam dicitur: **Cum ipsi lympidissimam aquam biberentis, reliquam pedibus uestris turbabaris, Et oues meae, quae pedibus uestris conculcatae fuerant, pascebantur: & quae pedes uestri turba uerant, haec bibebat. Sed mercenariorum uitium patefactis, dominus ad boni pastoris officium sermonem conuertit, dicens: Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meae. Quod est aperte dicere, [Cognosco meas,] id est, diligo eas. [Et cognoscunt me meae] .i. diligentes me uoci meae obaudiunt. De quibus alibi dominus ait, Oues meae uocem meam audiunt, & ego dominus cognosco eas, & sequuntur me, & uitam aeternam do eis, & in aeternum non peribunt, nec rapiet eas quisquam de manu mea. Hunc ergo bonum pastorem alij pastores imitari debent, ut quos sub suo regimine cognoscunt, puro & sincero animo diligant. Vnde primus pastor ecclesiae reliquos pastores admonet, dicens: Seniores qui in uobis sunt, obsecro consenior & testis Christi passionum, qui & eius quoque in futuro reuelanda est gloriae communicator, pascite qui & in uobis est gregem dei, prouidentes non coacte, sed spontaneae, secundum deum: neque turpis lucris gratia, sed uoluntarie: neque ut dominantes in clericis, sed forma facti regis & ex animo: ut cum apparuerit princeps pastorum, percipiatis immarcescibilem gloriae coronam. Sicut enim mercenarii non solum de suis uitium, sed etiam de subditorum suorum criminibus durius damnandi sunt: sic boni pastores cum tatis &**

Isa. 44

1. Petri. 5

Matt. 25

pro tantis remunerationem accipient, quantos suo exemplo uel prædicatione lucrificerint. tunc scilicet, quoniam illam desiderabilem uocem audire merebuntur. **Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui.** Unde bene nato domino angelus pastoribus apparuit, eosque claritas dei circumfulsit, ut intelligamus quia illos gratia dei in presenti perfectius illuminat, & sublimior merces in futuro remunerat, qui gregem dominicum diuino amore bene docendo pacere non recusant, quoniam sicut ait **Daniel: Qui docti sunt, fulgebunt quasi stellæ in firmamento: & qui ad iustitiam erudiunt multos, sicut stellæ in perpetuas æternitates. Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem. Nouit pater filium non temporaliter, sed æternaliter, coæternum & consubstantialē sibi gignēdo filiū, id est uerbum & sapientiam. Nihilominus filius patrem, quia genitus est à patre, sicut ipse ait in euāgelio: Nemo nouit filiū nisi pater, nec patrem nouit quis nisi filius, & cui filius uoluerit reuelare. Et animam meam pono pro ouibus meis.** Ac si diceret: Si inde me manifestum scire patrem & cognitum esse à patre, quia animam meam pono pro ouibus meis, tãto unusquisque pastor uerius deum cognoscere ostenditur, quãto gregem sibi commissum sollicitius custodit, non solum admonendo & exhortando, sed etiam (si necessitas exigit) pro necessitate illorum utilitatem suam postponendo. Nemo enim maiorem hac dilectionem habet, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis. Unde & Iohannes dicit: Si Christus animam suam pro nobis posuit, & nos debemus animas nostras pro fratribus ponere. Sed nunquid summus pastor solummodo pro salute

Dan. 12

Iudeorum animam suam posuit: Non. Decebat enim ut cum dei filius moreretur, non tantummodo pro una gente, sed pro omni populo. Vnde Caiphas tempore passionis eius prophetavit, dicens: Expedi uobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem (ait euangelista) a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit quia Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro Iudeorum gente, sed ut filios dei qui erant dispersi, congregaret in unum. De quibus ait: Et alias oues habeo, quae non sunt ex hoc ouili. Ex eo tempore quo dominus Abraham a caeteris gentibus segregauit, & eius progeniem sibi in peculiarem plebem elegit, duo populi & duae gentes nominari coeperunt, Iudeorum scilicet & gentium. Sed postquam ex ipsius Abrahae stirpe natus est, ex utroque populo unam ecclesiam copulauit, ut impleretur quod Gene. 22 ei dominus promiserat, dicens: In semine tuo benedicent omnes familiae terrae. Vnde cum inter Iudeos corporaliter ambularet, de nostra uocatione dicebat: Et alias oues habeo, quae non sunt ex hoc populo. Et illas oportet me adducere. Id est, per praedicationem meorum apostolorum ad fidem meam uocare. Et uocem meam audient. Id est, praecipis meis obedient. Et fiet unum ouile. Id est, ex utroque populo una collecta ecclesia in praesenti, siue in die iudicii, quia uenturi sunt Iudaei ad fidem. Et unus pastor. Ipse scilicet dominus Iesus Christus, de quo per apostolum Petrum credentibus dicitur: Eratis enim aliquando sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem & episcopum animarum uestrarum.